Adhibere etiam possumus vinum helleboratum, vt ℔. Hellebori ab omni terrestri impuritate prius vino optimo mundati, ac siccati, ʒ. ij. ß. follicul. sennæ, epythimi an. ʒ. j. ß. corticum citri, anisi, feniculi an. ʒ. ß. macerentur omnia in duabus mensuris optimi vini albi per iij. dies in loco calido; deindè coletur, & cum sacchari sufficienti quantitate dulcoretur, aromatizentúrque mane ℥. iij. vel jv. quo vino multi liniunt partes affectas tepidè.

Lullus lib. 2. de secretis nat. can. 6. commendat suam quintam essentiam chelidoniæ, in qua immisce fumariæ, centauræ maioris, epythimi, thimi, hellebori nigri an. ʒ. ij. lapidis lazuli ʒ. j. & dimitte stare iij. horis, & da ei in potu bis in die, semel in nocte, & vnge ab extra totum corpus, & regionem splenis.

Extractum hellebori nigri ex Heurnio.

℔. RAdicum veratri nigri effossarum sub ortum solis, incrementa ducente luna, ac peragrante dodecamorion ♉. ♌. aut ♐ in pulpam contundantur, & distillentur, dum nil amplius liquoris fundant; hoc fiet vi calidi caloris in arena; hic cinis, cum vino liquescat in lixiuium; mox balneo exhausto, liquorem salem fundus dabit, qui omne virus humani corporis antiquatum in causariis abigit, ac in floridam iuuentam effœtum corpus reuocat; soluitur cum vino, croco, & ambra, dosis est à ʒ. ß. ad ʒ j. Eadem arte extrahere potes reubarbarum, senam, epythimum, polypodium, turpetum, hermodactilos. Extractum esulæ, aut asari cum radice ℔. Fol. esulæ siccæ, & pulueriſatæ quantum sufficit; spiritus vini q. s. misce, cola, & in balneo distillentur donec mellis crassitiem acquirat; hac quoque ratione helleborus extrahitur, & ℥. lathyridis, seu ricini.

Extractum vniuersale, quod potest propinari ad omnia veneficia, & ad omnes humores peccantes educendos, in plerisque morbis; sanguinémque purgat.

℔. Diagridij ʒ. ß. reubarbari optimi ℥. j. trochisci diacolocynth. ʒ. iij. agarici troch. ʒ. vij. turpeti ex vino citoneorum macerati ℥. ß. fol. sennæ ℥. ß. semin. & corticum citri an. ʒ. ß. enulæ campanæ ℥. j. radicis valerianæ, bistortæ,

manuschristi